

transfunditurque cum his, quae sunt in mortario, calice novo et supra carbonibus imponitur, movente aliquo cocleario liquorem, ne quid subsidat et peruratur. at ubi bene incaluerit, iniciuntur in eundem calicem quae supra dixi coclearia tria et permovetur. cum autem calore temperata est potio, datur obducenda; statim dolorem levat. hoc facere oportebit per insequens biduum capientem cibi in prandio aut de tempore exiguum, quod facile conficiatur, ne crudus sumat medicamentum. postea in consuetudinem victus sui, qui colo infestabatur, dimittatur, oportet tamen non indifferenter remediatos in futurum vivere: tametsi enim a coli dolore tuti sunt, metuere nihilo minus debent, ne alia parte corporis aequae adficiantur ob intemperantiam <quam> colo, antequam remediati erant.

Ad tumorem, dolorem iocineris et duritiem

CXXIII. Ad tumorem et dolorem iocineris, item ad duritiam facit bene lupi iecur primum in aqua ferventi demissum atque ita arefactum. quantum victoriorum pondus trium, ex aquae calidae cyathis tribus per aliquot dies dabis.

CXXIII. Item bene facit ad duritiam iocineris veterem cunilae aridae, quam satureiam quidam vocant, contusae X p. unius vel victoriati cum mulsi cyathis duobus vel totidem aquae.

CXXV. Proficit mirifice haec compositio ad tumorem et dolorem cum duritia iocineris et lienis; item ad renum dolorem bene facit. nam colorem corporis restituit, qui propter vitia supra dictarum partium corrumpitur pallidusque conspicitur. prodest hoc idem medicamentum etiam ad aquae mutationes: croci X p. X , nardi X p. II, cassiae X p. II, costi X p. I, schoeni X p. I, cinnami X p. I, myrrhae stactae X p. I, mellis optimi